

gnare conatus, cum irrito eventu res cessisset, Brutianis deformatis litoribus, magna præda abducta, Liparas adiens, oppidum obstinata adeo, atque terrifica oppugnatione concus-
sit, ut incolas ad deditio[n]em compelleret, quos adversus
jusjurandum abripi, & in triremes invehi jussit, ut ingentis
supellec[t]ilis, & captivorum præda onustus Byzantium rediret.
Inde protenso navigationis cursu, cum Corcyram deflexisset,
amicæ a Reipublicæ magistratu salutatus, nulla incolis injuria
illata, Byzantium iter arripuit, Polino cum Gallicis quinque
triремibus, ac nonnullis navibus Naupactum usque comitan-
te: atque ita Turcicæ classis metu Mediterranei maris oræ,
Italiæque litora omnino soluta sunt.

1544
Lipara a
Chariadeno
capta &
direpta.

Ab acerrimo igitur bello ad pacem Regum revocatis ani-
mis, & barbarorum classibus intra Helle[s]pontum subductis,
respirare christiana resp[ublica] videbatur, cum bellorum reli-
quiæ, in extremi Belgii finibus Anglo, atque Gallo dimican-
tibus, insedissent. Ceterum obortæ tranquillitatis spei haud
parum officere duo conspiciebantur; alterum dissentientes de
religione sententiæ; cum perniciosis imbuta erroribus, invi-
cem Germania dissideret, jamque virus in dies adeo se effer-
ret, atque obreperet, ut Galliæ, & Italiæ quoque imminere
videretur; ad quod propellendum, & extinguendum vehe-
mentioribus, atque acrioribus remediis opus esset: alterum
vero belli Turcici suspicio, cum assiduis rumoribus increbre-
sceret, maximos a Suleimano ad Pannoniam, & Daciam pro-
ximo vere invadendam apparatus fieri; qui licet summam ex
Christianorum Principum nuper inita concordia molestiam per-
cepisset, majores undique vires cogebat, quo graviorem Au-
striacis timorem incuteret. Itaque Vormaciæ conventus indi-
ctus fuerat, ubi Ferdinandus Romanorum Rex, & Granvela-
nus Cæsar[is] nomine, qui tunc, ne Bruxellis discederet, poda-
gra detinebatur, affuere. In eo cum nihil vel ad religionis
controversias definiendas, vel ad Turcarum vim averten-
dam perficeretur, certos homines, qui de concordia
agerent, Cæsar, ac Ferdinandus mittere Byzantium decrevere;
quod certius ut assequerentur, ad explorandam Suleimani men-
tem, atque ad tutum iter conficiendum publicam fidem po-
scendam a Francisco Rege nuntium mitti petiere. Id cum haud

Polinus c
Gallicis tri-
remibus
Naupacti
usque Cha-
riadenum
comitatur.

Vormaciæ
conventus.

Franciscus
Rex Vignel[is]
in Cæsar[is]
gratiā
Byzantium
mittit.

gra-